



ADDENDA.

Serius & typo penè absoluto, in manus nostras incidere-
runt, antiquissima nonnulla Documenta, Privilegia
aliâque singularia Splendidissimas Familias, Liech-
tensteiniam, Polheimiam, Stabrenbergiam, Harrachiam,
Hardecciam, &c. &c. concernentia, quæ ad Historiam
Earum Genealogicam non parum lucis afferunt, ideoq; in Colle-
ctaneis hisce omni jure sibi Spatium vindicant. Cum autem re-
cens hæc communicata suo loco inserere amplius haud integrum
fuerit, supplementi ad instar ea operi nostro adjungere potius,
quam omittere prorsus, visum fuit.

AD CAPUT VI.

DYNASTÆ DE POLHEIM.

ARnoldus Dynasta de Polheim & Warttenburg Ministeria-
lis Styriæ Marchiorum Advocatusque Monasterii Traun-
kirchen in literis Garstensibus de Anno 1108. & Cremifanen-
sibus de Annis 1139. & 1144. testis adducitur. (a) Weiccardus
II. Polheimius autem in aliis Garstensis & S. Floriani Cœnobio-
rum documentis de Anno 1143. & 1157. allegatur. (b) Die-
tericum II. sive Theodoricum de Polheim in Privilegio Garstensi
Conventui Anno 1158. dato Leopoldus Austriæ, Ottocarus Sty-
riæ Duces testem esse voluerunt, eique inter Proceres qui testi-
monia sua præbuerunt primum locum assignarunt, sequenti or-
dine observato :

Ottocarus Dux Styrensis. Leopoldus Dux Austriæ. Die-
tericus de Polheim. Erchinbrechtus de Hagenau. Herand de
Wildonia. Fridericus de Petave. Erchenger de Landeser. E-
berhardus de Perove. Heinricus de Treisen. (c)

Ortholphus Polheimius Ascetam Monasterio Cremifanensi
Anno 1158. dedit. Weiccardus III. vero Weiccardi II. filius
Leopoldi Austriaci Ministerialis ab Hero suo in confirmationis
Instrumento Cœnobio Cremifanensi de fundatione Comitum
de Rebege Anno 1189. tradito, ad testimonium vocatus & Co-
mitibus nonnullis præpositus est, ut sunt :

Qq 2

Leo-